



**S**vibdagerus ob magnas animi & corporis uirtutes à Noruegis rex creatus fuit, circa annum mundi 2940. Hic in Suetiæ regnum irrumpens, cui tum Gram præsidebat, omnia ferro & igne uastauit, atq; filia & sorori Gram stuprum intulit. Itaque Gram magno exercitu collecto eum bello petijt. Verùm Suibdagerus Saxonũ auxilio fretus, Gram ingenti prælio uincit & interficit. Postea filiam Grami uxorem duxit, & Suetiæ regnum sibi reseruans uxoris fratri Guthormo Daniæ regendam concessit, ea tamen conditione, ut quotannis tributum penderet. Erat autem Hadingus alter Grami filius, hic ut patris necẽ ulcisceretur, uersus Orientem in exilium profectus est. In ijs locis res plurimas præclare gessit, & cū magno exercitu reuersus, Suibdagerum apud Gutlandiam ingenti classe obuium pugna aggressum interemit, atq; paternam ditionem sua uirtute recuperauit.

Sax. Gram. Hist. Danicę. lib. 1. Ioan. Mag. Hist. Goth. lib. 2. cap. 8.